

A Bactriam & natura loci, & rebus cæteris quæ ad defensionem spectant, munitam, cum expugnare nõ posset, obsedit. Protracta longius obsidione, uir Semiramidis (is Nino aderat) amoris impatiens, uxorem accersit: quæ perspicax, magniq; ultra muliebrẽ sexum animi, tempus naçta quo uirtutẽ ostenderet, uitam multorũ dierũ ingreditur, induta eiusmodi formæ stola, ut uir ne an mulier esset, nequiret perspicì. Tuebatur ea ab itineris æstu corporis colorem, agilis ad omne opus. Cuius tanta erat cõmoditas, ut postmodum Medi, cum Asia imperarent, Persæq; stola Semiramidis uterentur. Cum uenisset in Bactriã, perspecta obsidione, tum locis, urbisq; situ, quaç adiri posset, animaduersis, arcem, quia loco natura munito difficilior erat, & quem nullus antea tentarat accessu, custodijs uacuam conspexit, intentis omnibus, ueluti arce ab hoste tuta, ut inferiori parti campestri subsidium ferrent. Sumptis igitur qui per loca petrosa abruptaq; ascendere soliti erant, per aditum uallis præcipitem superata loci asperitate partem arcis cepit: magnoq; ad terrorẽ excitato tumultu, signum captæ arcis obsidentibus dedit. Qui intra urbem erant, arce amissa obitu pefacti, derelictis mœnibus fuga saluti consuluerunt.

QVOMODO NINVS DVXIT

uxorem Semiramidem propter eius uirtutes.

Cap. III.

Capta ciuitate, admiratus Semiramidis uirtutem Ninus, in primis eam multis donis cumulauit: deinde pulchritudine eius allectus, persuadere uiro conatus est, ut illam sponte sibi uxore condonaret, pollicitus filiam se matrimonio in eam gratiam daturum nomine Sosanem. Renuenti comminatus est ei se oculos, ni pareret, eruturum. Hoc percussus timore, simul et amore incensus Menon, cum laqueo uitam finisset, Semiramidem Ninus uxorem cepit. Theauri omnes Bactrianorum, magnum auri atq; argenti pondus ad Ninum perueniunt: qui constitutis Bactrianorum rebus, exercitum dimisit. Genitoq; ex Semiramide filio cui nomen Nini indidit, excessit e uita, imperio uxori relicto. Sepultus est in regia, sepulchro ingentis molis, altitudine nouem stadiorum, latitudine, ut ait Ctesias, decem, ei constructo. Cum ciuitas iuxta Euphratem sit in plano condita, conspicitur uelut arx quædam ea moles, licet multis stadijs distans: quam nunc etiam stare dicunt.

QVOMODO SEMIRAMIS POST

*mortem Nini suscepto imperio multa egregia fecit, & de
ædificatione Babylonie. Cap. IIII.*

Post Ninam à Medis dirutam, quo tempore Assyriorum imperio potiti sunt, Semiramis magni mulier animi cupiens uirum rerum gloria excellere, urbem in Babylonia cõdidit, accersitis undiq; opificibus atq; architectis, cæterisq; quæ ad tantã rem pertinebant paratis. Addidit ad id opus perficiendum ex omni regione hominum milia ter decies centena. Urbs ab utroq; late re Euphratis, ut medius interfluat, ædificata: cuius mœnia ambitu stadia trecenta & sexaginta complectebantur, frequentibus turribus ac magnis. Erat tanta operis magnificentia, ut in muri latitudine sex equorum currus unã prodiere possent. Altitudo incredibilis audientibus, ut Ctesias Chidius ait: ut autem Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam profecti sunt, scribere, pedũ trecentorum sexagintaquinç. Addiderunt etiam, quolibet anni die stadium muri absolutũ, ut tot sint stadiorum circuitus, quot dies annũ conficiũt. Mœnia ex lateribus & asphaltis facta: quorum altitudo, ut Ctesias tradit, est passuum quinquaginta: ut quidam posteriores scribunt, cubitorũ quinquaginta: latitudo